

3331

C O D I C E S

3332

II. fol. 65. Sequitur *Replica eiusdem Articuli Tercij*. Sequitur et T. cit. col. 1150. hoc initio: *Reuerendissimi Patres — et si iuxta sacri Canonis veritatem &c.* Et fine: *Ideo propitium requirit lectorem.* Edita: *correctorem.* De Autore, postea *Nidrosiensi* et *Caesariensi Archiepiscopo*, sepultoque in *Patria Confluentiae* a. 1465. adi T. I. *Scriptt. Ord. Praed.* p. 828.

III. fol. 121. Incipit *Articulus Quartus Bobemorum Qui talis est.* Non licet Clero tempore legis gratie super bonis temporalibus seculariter dominari. Ad quem respondit dominus *Jobannes palmar* (in marg. *polamar*, al. *Palomar*, *Polemar*) *Auditor Domini pape, doctor.* Reliqua tituli extrita. Initium: *Deus in adiutorium meum intende &c.* Finis: *et seras auribus tuis.* Extat T. cit. col. 1207. et nobis jam *Codd.* praecedentib. quos, si lubet, vide. Codex hic eadem manu exaratus est, qua praecedens qui *Disputationem Aegidii Carleirii* ad idem *Bobemorum* negotium pertinentem continet, et pariter, ut ille, membranis duabus *Regulae* cujusdam *monasticae* Sec. XIII. descriptae ambitur.

DCCCCLXXIII.

253 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 322. f. partim duabus columnis, partim lineis longis exaratus continet varia *Concilii Basileensis* Monumenta et quidem: I. *Jobannis de Polemar* s. *Palomar* *Archidiacon. Barchinonen-*

sis &c. *Orationes* II. habitas in *Conc. Basileensi* anno 1433. quarum contenta explicat subscriptio, quae sic habet: *Expliciuunt responsiones domini Jobannis Polemar auditoris sacri palacij apostolici Archiepiscopi ecclesie Barchinon. decretorum doctoris, ad proposita per magistrum petrum (Payne) anglicum hereticum, seu ad articulum quartum bobemorum, qui est, quod clerici non debent habere temporalia, facte in generali congregatione consilij basilien.* Adjectum perperam: *Anno 143.^{mo}* nisi is sit annus scriptoris 1443. *Responsiones* has per triduum datas ex T. IV. *Antiq. Lect. Henr. Canisii* insertas habes *Collectioni Concil. Labbeanae* T. XII. p. 1364. *Edit. Venet.* T. XVII. col. 1207. et *Harduinianae* T. VIII. p. 1909. Initium primae est: *Deus in adiutorium &c. Excelsus ille propheta David &c.* Finis: *perveniamus ad vitam gratie in presenti et glorie in futuro.* Initium alterius, quae in editis cum priore cohaeret: *In nomine sancte et indiuidue &c. in prioris actus exordio premissa fuerunt &c.* Finis: *et seras auribus tuis.* Vide *Codd.* praeced.

II. fol. 44. sequitur absque titulo *Oratio*, quae in subscriptione dicitur: *Proposicio Magistri Thome de Corcellis facta Nurremberge pro parte sacri Concilij generalis Basilien.* Magister in sacra Theologia et Canonicus *Ambianensis* erat *Thomas*, tantaeque inter Patres autoritatis, ut teste *avτοπτη Aenea Silvio* L. II. *de gest. Conc. Bas.* *Triumvirorum*

unus

3333

S Y N O D I C L

3334

unus nominaretur, qui suffragatores creando novo Pontifici legerent. In adsignando Orationis praesentis loco lapsus videtur Librarius; *Moguntiam* enim pro *Norimberga* scribere debebat, quo reapse eodem *Aen. Silvio* teste L. I. cit. *Thomas* cum aliis ad *Germaniae* Principes ablegatus fuit. Orationem ipsam praegnantem bonae frugis ineditam putem. Incipit illa: *Explicatur, que nobis a sancta Synodo iniuncta sunt, a uerbo diui apostoli sumemus exordium, quod in epistola ad Eph. IIII. c. scriptum est, quod tempore nostri ingressus in officio dominice currentis (XIX. post pentec.) legebatur: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra &c. agitque de suprema potestate Conciliorum generalium, de iniusta dissolutione Synodi Basileensis, de recte lata in Eugenium Papam sententia. Inter alia: Consumeabant antea ut plurimum, qui beneficia ecclesiastica habituri erant, magnam partem uite in litigijs et per discursus in longinquam regionem studia et ecclesias suas dimittere cogebantur, corpora propria innumeris fatigationibus exponebant, pecunias et patrimonia sua in his consumeabant litigijs, animeque multorum varijs laqueis irretitae erant per iniustas afflictiones beneficiorum et ita in his litigijs implicabantur ecclesiasticorum animi, ut plerumque suae salutis et aliorum intendere negligenter. Sed et per exactiones, que pretextu vacanciarum fiebant, ecclesie orbis, Regna, pro-*

*vincie admodum depauperabantur, facultates ecclesiarum et possessiones impugnabantur et alienabantur, regnabatque nimium ambitio in afflictionibus episcopatum et magnarum dignitatum, vnde animarum salutis et bono regimini ecclesiarum innumera detrimenta et preiudicia sequebantur. Que quidem omnia et aliorum abusu fere inexplicabilis multitudo cessabunt. Eritque regimen romane curie et aliarum ecclesiarum felicissimum. Sedes apostolica in summa veneratione habebitur, ac virtutis et sanctitatis exemplaria in uniuersum clerum ac populum diffundet &c. Finit: ut in veritate et iustitia coniuncti iugiter adbereant suo capiti christo; qui est eterna veritas et cum patre et filio (Spiritu sancto?) vnus deus benedictus in secula seculorum. Amen. Successum huius legationis narrant *Aeneas Silvius I. cit.* et *Aug. Patricius* in *Actis T. IX. Coll. Concil. Harduini p. 1175.* pro suo quivis utique studio.*

III. fol. 66. absque titulo: *Jobannis de Rokezana* unius e *Bohemorum* ad Synodum *Basil.* legati Oratio habita an. 1433. 16. *Jan.* Incipit: *In nomine ejus feliciter Amen Ex cujus potentia constat totius mundi sensibilis confecta armonia &c. Haeresis invidia a Bobemis* removetur et captatur Concilii benevolentia. Finit: *ab origine mundi occisum, in ligno maledictum Quem decet laus et honor et imperium cum patre et spiritu paraclito in secula seculorum Amen. Extat impressa in Mansii* *supplem. Concil. T. IV. col. 436.*

No.

3335

CODICES

3336

Nobis subscribitur: *Facta est Col-
lacio in Concilio per Magistrum Jo-
hannem Rakansana ambasiatorem
incliti regni Bobemie Mense Ja-
nuarij.*

IV. fol. 69. p. 2. absque ti-
tulo: *Juliani Card. Legati et prae-
fidentis in Synodo Basil. Oratio in
adventu Legatorum Bobemiae ha-
bita 9. Jan. 1433. hoc initio: Lo-
cuturus igitur pro publica christia-
ni populi utilitate &c. Urgetur in
ea maxime: quidquid uspiam cir-
ca Religionem dubiorum esset,
submitti debere Concilii generalis
iudicio, utpote quod ecclesiam
universalem repraesentaret. Finis
est: vos omnes et alios filios meos
ubique existentes perducere digne-
tur, qui vivit cum &c. Et sub-
scriptio: Collacio hec precedens fa-
cta est in aduentu Bobemorum per
reuerendissimum dominum Julianum
legatum et presidentem. Extat im-
pressa in *Colleg. Labb. edit. Ve-
net. T. XVII. col. 686.**

V. fol. 80. p. 2. absque titu-
lo: *Sermo habitus ad PP. Basile-
enses in festo D. Thomae Aquina-
tis in illud Matth. c. 5. Vos estis
lux mundi. Initium: Notum est in
perspectiva principium, sine luce ni-
hil videri &c. Inter alia: Consu-
lamus animum hujus sacri Doctoris
cuius agimus solempnia. Nam scri-
ptum est: interroga maiores tuos
et dicent tibi. Quid dico sanctissi-
mum Augustinum. Nam Augusti-
nus pater beati Benedicti fuit, sub
cujus fuit regula enutritus. Nam
ita cantamus: Sub Augustini regu-
la mente profecit sedula. At vero
beatus Dominicus huius sacre reli-*

*gionis est pater, cuius filius est no-
ster fecundissimus doctor &c. Bre-
viter praeterea Thomae vitam
percurrit et ejus scripta contra
errores, ut ait, arrois (Aver-
rois) qui dixit unum esse in omni-
bus hominibus intellectum, G. de
sancto amore, vegerij (quis hic?)
et eorum sequacium, qui per diuer-
sa sophismata religiosam paupertatem
et eius salutaria instituta era-
dicare nitentur, commemorat.
Demum PP. conscriptos ad offi-
cium in Synodo strenue faciendum
hortatur. Fugit hic Sermo Con-
ciliorum Collectores, cujus autor
fortasse fuerit Johannes de Ragus-
to O. P. vir in illa Palaestra no-
tus.*

VI. fol. 88. rubro: *Incipit dya-
logus Venerabilis et egregij viri
domini Enee Siluij Senen Sanctis-
simi domini nostri felicitis (Amadei
Sabaud.) diuina prouidencia pape
quinti Secretarius de rebus concilia-
ribus. Opus hoc praemisso erudi-
to Monito juris publici fecit Cl.
Kollarius T. II. Analest. Vindob.
col. 691. collatis duobus Codici-
bus, uno praesente, et altero,
quem Bibliotheca Augusta inter
Scriptores de Jure Canon. seruat.
Itaque, quod addam, non habeo,
nisi, liquere ex Bulla Retractatio-
nis editioni Opp. Aeneae Silvii Ba-
sil. 1571. f. praefixa, qua autor
jam Pontifex et Pius II. hos Dia-
logos reprobat, nullis illum, dum
Basileae ageret, sacris muniis ini-
tatum fuisse. Ita enim ibi: Era-
mus adhuc pene laici, quando ad
Eugenii obedientiam redivimus. Ex
Basilea clericali tantum chara-tere
in-*

insigniti recessimus, nec unquam sacros imbuimus ordines, nisi post ueritatem cognitam, Basiliensium cecitate relicta. In Austria, minores ordines, ac subdiaconatum et diaconatum recepimus. In Urbe ad presbiteratum peruenimus. Quorsum haec? Ut tandem Epistola illa L. I. XV. qua Aneas Patri suo significat se prolem Argentinae suscepisse, tempori suo adfigatur; Argentinam enim Basileensium Orator venerat, indeque Basileam redierat.

VII. fol. 111. p. 2. Iudicium Academiae Coloniensis inscriptum: *Ad requestam Reuerendissimi Domini Domini Theodorici (C. Mercuriae) Archiepiscopi Coloniensis. Domini deputati Universalis Coloniensis studij sicut prima facie potuerunt, non auditis particularibus motivis parcium scisma presens inducentium, visum est conueniendum in tribus propositionibus, quibus super hac requisitione respondendum est. Propositio prima est: Ecclesia Sinodaliter congregata habet supremam Jurisdictionem in terris, cui omne membrum ecclesiae cuiuscunque dignitatis fuerit, etiam papalis, obedire tenetur. Ita tunc Colonienses. Extat totum hoc Avisamentum in C. Eg. Bulaei Hist. Univ. Paris. T. V. p. 460.*

VIII. fol. 126. Tractatus apologeticus pro Synodo Basileensi, quo contenditur, nemini licere inter ipsam et Eugenium Papam suspensio iudicio medium remanere. Autor, cujus nomen non adparet, Germanicam maxime nationem petit; nam, ut de Friderico imp. Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

ait Aen. Silvius in Bulla Retra- stat. erat ille cum tota fere germania neutralis. Concilium Basileae dicebant esse Germani, et idolum ejus (Amadeum) respuebant, Eugenium Christi vicarium appellabant et concilium ab eo (Ferrariae) celebratum recusabant. — Neutralitatem idcirco Teutones induerant, ut concordia facilius inveniretur &c. Hoc itaque consilium impugnat Anonymus noster, immixtis multis, quae ad ipsam Concilii historiam opportuna forent, si Tractatus hic, quod factum nondum putem, ederetur. Praemissum est illi Decretum Synodi Const. Sess. XXXIX. conditum de frequenter agendis Conciliis. Post quod sic procedit: Ex suprascripto capitulo nonnulli dicunt fundari, quod in causa rebellionis moderne, quam Gabriel de Condumario olim Eugenius papa quartus fecit et continue facit contra sacrum Basiliensium Concilium &c. Et finit: et cum omnimoda submissione ad correctionem sanctae matris ecclesiae et cujuslibet melius sentientis.

IX. fol. 141. Decretum Depositionis Eugenii IV. Prospexit Dominus de excelso sancto suo &c. ut habetur in Collec. Conc. Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 390.

X. fol. 142. Tractatus Anonymi, quo Decretum istud iuste prolatum et executioni demandandum esse contenditur. Incipit: *Ut omnibus evidenter constet sententiam pridem videlicet VII. Kl. Julij Anno domini M CCCC° tricesimo nono per sacrosanctam generalem Synodum Basiliensium aduersus Gabrie-*

3339

CODICES

3340

brielem de Condulmario vocatum quondam Eugenium papam quartum latam esse justissimam et ab omnibus fidelibus acceptandam, quatuor secuntur consideranda, que si in unum concurrant, sententia absque ulla hesitatione tradenda est executioni. Hoc est, si lata sit a competenti et legitimo Iudice, in ea contenta sint vera et sufficientia ad effectum in sententia pronuntiatum, debito modo et ordine observatis, et recta intentione, secundum genus quadruplicis cause efficientis, materie, forme et finis &c. Quae quatuor momenta fusa subin exponuntur. Clauditur: In hoc igitur casu omnis fidelis cuiuscunque status et dignitatis sacro Basilien. Concilio obedire tenetur. Ineditum, ni fallor, est Opusculum.

XI. fol. 157. p. 2. *Eugenii IV. Literae irritantes Acta Basileensium datae: Florencie in sessione publica synodali solempniter in ecclesia sancte Marie Nouvelle celebrata Anno. incarnat dominice MCCCCXXXVIII. (39) pridie nonas septembris Pontificatus nostri anno nono. Incipiunt: Moyses vir dei populi sibi commissi salutem zelans &c. et leguntur Colle8. Concil. Harduini T. IX. col. 1004.*

XII. fol. 161. Synodi Basileensis ad has literas Responsum. Incipit: *Beatus Jeronimus cum lumen veritatis salubri doctrina diffunderet &c. et habetur T. XVII. Labb. edit. Venet. col. 547. Harduin. T. VIII. col. 1410. sed in utroque Subscriptio exhibet an-*

num 1449. qui, ut in Cod. nostro, debet esse 1439.

XIII. fol. 169. p. 2. *Anonymi Scriptum, cujus, ut in calce monetur, titulus est: Tractatus decem auizamentorum ex sacra scriptura de sanctitate ecclesie et generalis concilij auctoritate. Incipit: Aput sapientes in decisione questionum ac disputationum frequentia &c. Capita porro tractationis haec sunt: Ecclesiam non esse solum praedestinatorum aut in gratia existentium. Ecclesiam non latere, nec ignorari posse. Eam semper esse sanctam. Eam tempore passionis Christi non remansisse in sola virgine. Eam consistere in pluribus membris differentibus virtute et operatione. Eam consistere in episcopis sive in presbyteris doctoribus, praedicatoribus et pastoribus. Esse magistram omnium. Esse mensuram certam omnium actionum populi christiani. Ei promissam esse assistentiam filii Dei et Spiritus sancti. Generale ejus Concilium legitime congregatum circa fidem et mores culpabiliter errare non posse. Quae omnia sub finem per ἀνακεφαλαιωσιν repraesentantur, ubi additur: Quod papa existens in concilio cum se conformat aliorum iudicio potius, tunc sibi competit nomen capitis et rectoris. Ex mente itaque Basileensium scriptus est Tractatus, quem nullibi impressum me vidisse memini.*

XIV. fol. 249. *Cracoviensis Academiae Responsum in caussa Schismatis Basileensis porrectum Sbigneo ep. Cracoviensi Universitatis*

334¹

S Y N O D I C I.

3342

tatis Cancellario et Basileensium Oratoribus Marco Bonfilio, Stanislao de Sobmaro Praep. Tridentino et Canonico Cracov. Derzlao de Borzmaꝝ Archidiacon. Cracov. et Guilelmo de Parma. Initium: *Deliberantibus nobis, quid super instanti requisitione — responsuri simus, unum illud Propbeticum: Errauerunt ab utero &c.* Papam Concilio subijciunt. Inseruit hoc Responsum C. Eg. Bulaeus Historiae Univ. Paris. T. V. p. 479. sed ibi ad ipsum Regem Wladislaum dirigitur.

XV. fol. 270. absque titulo, sed ut habet subscriptio: *Sermo de conceptione beatissime marie virginis pronuntiatus in concilio Basilen. per reuerendum patrem dominum Episcopum Dignensem Anno domini M^o CCCC^o Tricesimo sexto.* Episcopus hic Dignensis in Gallia Petrus erat, dictus de Vercellis, Legatus ad Concilium a suae Provinciae Episcopis et Ludovico III. Siciliae et Hierosol. Rege, variis aliis missionibus functus et in fede Meldensi mortuus 1446. Sermo illius infit: *Memoria mea in generationem seculorum. Eccl. XXVIII. hec uerba scribuntur que quidem uerba ad litteram sumpta dicuntur de diuina sapientia &c.* Improbantur notae contentiones de Virginis conceptu, perscrutantium, in quo instanti deus eam sibi gratificauerit, quod tamen nullus scit, nisi ipse deus et cui reuelare uoluerit. Quod de hoc, pergit, habent scripture, hoc solum dicitur, quia quidquid dignitatis est et prerogatiue, attribuendum est ma-

rie, quantum non repugnat scripture. Et amplius interrogare non est utilitatis. Contendere uero super uno instanti potius est methaphisicorum &c. Nullibi uidetur Sermo impressus.

XVI. fol. 278. Sermo (rursus ex subscriptione) pronuntiatus in concilio sacro generali Bas. per eximium sacre theologie professorem Magistrum Henricum tocke Canonicum Magdeburgen. in dominica die Aduentus domini Anno domini M. 1436. Per Aduentum Domini intelligenda hic uidetur Dominica Palmarum; ita enim orditur orator: *Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus. Matth. XXI. Et in euangelio hodierno. Magnum Opus et arduum loqui coram hac sacra congregatione generali &c.* Atqui Euangelium illud Dominica in Palmis legitur. Finem uersus haec habentur. *Basilei dicuntur reges et uos dominus in hac precelsa ciuitate Basilien. congregauit in unum, ut regatis ex ea uniuersum mundum. Sileant ergo qui aliquid fidei sinistrum aut ecclesie unitati contrarium uaticinantur esse futurum ex basilea, non enim locus erit in culpa sed qui in loco congregati sunt, de bene uel male gestis rationem reddere habebunt. Loci nomen ex grammatica factum aliquod promittit et regium decorem, ut ysidorus attestatus est, quoniam reges dicuntur basilei, et basilea utique regia interpretatur, et de basilea bonum regimen exoriri poterit, si saltem apprehendatis disciplinam &c.* De Autore quaedam dicta sunt alias. Consule Indicem.

G g g 2

XVII.

3343

C O D I C E S

3344

XVII. fol. 286. *Traſtatiuncula* fine inſcriptione pro aſſerenda Conciliorum autoritate. Initium: *Ad oſtendendum quod concilium generale in ſpiritu ſancto legitime congregatum vniuerſalem eccleſiam repreſentans claues a chriſto ligandi atque ſoluendi acceperit, patebit ex ſacrorum conciliorum ac ſanctorum doctorum auctoritatibus &c.* Quae deinceps adducuntur.

XVIII. fol. 288. rubro: *Littera pro teſtimonio illis, qui ſoluerunt, i. e. pro indulgentiis a Synodo Baſil. conceſſis.* Tenor eſt ſequens: *Univerſis preſentes litteras inſpecturis. Ego N. a ſacra Baſ. Sinodo ad excommunicationem (executionem) indulgentiarum per ipſam ſinodum conceſſarum in tota prouincia Baſilien. conſtitutus tenore preſentium notum facio, quod petrus Iohannis laicus Ciuis Salczburgen. die prima preſentis menſis prout in ſua conſcientia aſſeruit, contribuit ad predictum opus reductionis (terrarum ab Infidelibus occupatarum) et in trunco in eccleſia Salczburgen. ordinato reſoſuit — Quapropter quicumque ſacerdos ſecularis uel regularis alias diſcretus, quem in confeſſorem elegerit, eidem petenti ſemel in mortis articulo et ſemel in uita ab omnibus peccatis et cenſuris eccleſiaſticis plene abſoluendi et alia faciendi facultatem habebit &c.* Subjungitur duplex abſolutionis formula pro *Laicis* et *Clericis*, ratioque poenitentiae, ut dicitur, injungendae. Ex huiusmodi *Literis* natam puto adfertionem, quod olim peccato-

rum in futurum committendorum in eccleſia *Romana* data ſit uenia.

XIX. fol. 288. p. 2. Oratio inſcripta: *Ambaſiatorum Concilij Baſilien. ad papam.* Incipit: *Si in medio magnatorum loqui preſumendum non ſit Pater beatiſſime &c.* Extat in *Mansi Suppl. Concil. T. IV. col. 1158.* adſignata anno 1435.

XX. fol. 291. p. 2. Alia eorundem inſcripta: *Item ſequitur alia materia de eodem.* Initium: *Beatiſſime pater, exigeret preſentia veſtre ſanctitatis in primo dicendorum alloquio &c.* Extat unacum reſponſo *Eugenii* ſubſignato a *Poggio Florent.* ejus Secretario *T. XVII. Labb. col. 649. T. VIII. Harduin. col. 1505.* utrinque attributa *Iohanni de Bachenſtein, Archidiacon. Zagrabiensi,* qui Collegam habuit *Matthaeum Meſnaigne.* Unde miror *Mansium,* qui illam rurſum *Suppl. T. IV. col. 1163.* inſeruit.

XXI. fol. 295. Epistolae III. Legatis hiſce *Baſileenſium* in uiam datae. *Prima Eugenii Papae,* qua Concilium ad ea remittit, quae hi Legati nunciaturi ſunt: *Venientes ad nos dilecti filij Iohannes de Bachenſtein decretorum et magiſter matheus meſnagne magiſter in artibus ac baccallarius in Theologia &c.* Data florencie Anno incarnationis dominice M^o. CCCC^o. XXXV^o. Idus Auguſti pontificatus noſtri anno quinto. *Jo. de Steccotis.* Altera Collegii Cardinalium, qua excuſant tardiorum Legatorum reditum ob cu-

mu-

3345

SYNODICI

3346

mulata negotia : *Per manus egregiorum nuntiorum vestrorum presentis exhibitorum &c.* Ibid. eod. fed *XVII. augusti. Tertia* Cardinalis *S. Petri*, cui Legati literas pariter adtulerant, qua nunciat, se ob febrem non potuisse ipsummet eos ad Pontificem inducere, nihilominus omnia ab iis exacte praestita; addit, pacem in *Italia* feliciter coaluisse et subscribit: *Ex floren. XVI. augusti Anno. 35.^{to} Deuotus ecclesie filius et vestrarum P. seruator humillimus.* Triadem hanc Epistolarum in *Concil. Colled.* non inuenio.

XXII. fol. 295. p. 2. Literae binae *Eugenii* Papae et Collegii *Cardinalium*, dum *Basileam* mitterent *Ambrosium Camaldul.* Ordinis generalem et *Antonium de S. Vito* causarum Palatii Apostol. Auditorem. Prior incipit: *Mittimus ad sacram Basilien. sinodum &c.* et subscribitur: *Datum floren. Anno incarnationis dominice M^o CCCCXXX (V) kal. augusti. G. de ymola.* Altera: *Ex parte sanctissimi domini nostri &c.* Subscripta ibid. eod. fed *XXII. Julii.* utraque legitur in *Mansii Suppl. T. IV. col. 1145.*

XXIII. fol. 296. Responsiones facte per *A.* (ntonium) auditorem nomine fratris *A.* (mbrosii) prioris generalis et mei ex parte *S.* in *x. p.* et domini nostri domini *Eugenii* Diuina prouidentia pape quarti in generali concilio *Basilien &c.* Initium: *Nuntii et oratores a sacro hoc generali Concilio destinati &c.* Prostant *T. XVII. Labb. col. 655. T. VIII. Hard. col. 1510.*

XXIV. fol. 297. p. 2. absque inscriptione Oratio *Ambrosii Camaldulensis* dicti *Traversarii* ad *PP. Basileenses* habita 1435. *VII. Kal. Sept.* Initium: *Non vereor patres Reuerendissimi et religiosissimi ac deuotissimi viri, qui hoc sacrum generale concilium vestra illustratis presentia &c.* Orationem hanc cultiori jam latinitate inter plurimas alias ibidem habitas eminentem exhibet *T. XVII. Labb. col. 1335.*

XXV. fol. 301. p. 2. Responso Concilij ad *Supradicta* petita. Incipit: *Deceret huius sacri Concilij dignitatem &c.* Retulit *Mansius* in *T. IV. Suppl. col. 1169.*

XXVI. fol. 305. Collatio facta ad *Consilium Basilien. per Ambassiatam Serenissimi regis portugalie.* Incipit: *Plato grauissimus stoyce discipline imitator in eo sermone quo socratem de immortalitate animarum diuinitus disputantem facit &c.* Tam alte exorsus Orator ad christianae religionis primordia, tum ad Conciliorum generalium utilitatem delapsus tandem ita prosequitur: *Ad que animaduertens serenissimus princeps deuotissimus ecclesie filius Edeuardus portugalie et Algarbij Rex cepteque (Septae) dominus cupiens — aliquid sollicitudinis impertiri hos suos oratores ad hanc sacrosanctam Synodum destinauit. Cum autem olim hec sacrosancta synodus — clare memorie regi Johanni super mittendis suis oratoribus perscripisset, atque is libens idem facere institisset, imperante altissimo illis diebus (1433. 14. Aug) excessit e vita.*

G g g 3

vita.

3347

C O D I C E S

3348

vita. Filius quoque qui patri regno successit — post patris exequias et religiosissima funera occupatus plurimum in nouo regimine — distulit haecenus suos oratores mittere &c. Non inuenio in editis Concilii Aetis.

XXVII. fol. 308. p. 2. Oratio Anonymi proluxa, habita, ut videtur, anno 1437. circa tempus Sessionis XXV. Synodi Basileensis, dum de loco futuri pro Graecis Concilii deliberaretur. Initium: *Magne sepe res atque ardue patres Reuerendissimi in hoc sacro Concilio versate tractateque sunt &c. Papiam suadet Orator Venetiis, Florentiae, aut quibusvis aliis Urbibus praeferendam, de qua inter alia: Est profecto illa urbs splendidis commodissimis ornata domibus. — Hic moderni genitor ducis (Philippi Mariae) cohabitauit princeps omnium sua etate consultissimus, hic curiam continuo tenuit, quam magni domini, omnisque fere nobilitas ytalie sequebatur, ob quam rem multa ingentia palacia et amplissime sunt edes edificate curiales. — Illic palacium est, quod castellum appellant, ingenti fossa circumdatum, de cuius amplitudine illud retulisse sufficiat, quod augustalis pontificalisque aule capax existimetur. — Vno preterea cunctisque edulibus adiacens patria maxime habundat. — Quidquid abest, Ticini flumen aduectare potest. Sed quid hic immoror. Insubres, ut scitis, populi nunquam externo tritico victitarunt, sed suum ipsi ceteris prouincijs subministrarunt, quo fit, ut summam*

semper in papia victualium copiam sitis habituri, nec aliquis uobis italus pro minori precio victum dabit. — Quod tribus denarijs alibi emittis, duorum hic denariorum pretium habebit &c. Digna sane tota lectu est Oratio, nec, quod sciam, edita, id, quod et de sequenti, quae Codicem terminat, Epistola censeo.

XXVIII. fol. 321. p. 2. Sacrosanctae generali synodo basiliensis in spiritu sancto legitime congregatae uniuersalem ecclesiam representanti Eduardus dei gratia regnorum portugalie et Algarbij Rex cepteque dominus &c. Grande desiderium uehemensque cogitatio boni tocius christianitatis, presertim pacis atque concordie &c. Petit, ut Synodus omni ope studeat bello inter Anglos, Gallosque finem facere. Datum In villa de turribus veteribus (Torvedra) X. die mensis septembris anno a natiuitate domini M^o. CCCC^o. XXXIII.

Non exigui momenti sunt haec Actorum Conciliarium Basileensium ΔεΨαφα, cum ad emendationem eorum, quae iam typis publicata sunt, tum ob complura ἀνεξόρα, quae an suis in Collectionibus Hermannus von der Hardt et Steph. Baluzius censuerint, dicere non habeo.

DCCCCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. ²⁹¹ XV. Foll. 295. f. a diversis conscriptus, sed foliorum numeris jam primitus insignitus sequentia complectitur. I. *Vtrum liceat eccle-*